

7

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
DE  
**TVSSI  
CONVVL SIVA**  
QVAM  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE  
PRO GRADV DOCTORIS  
LEGITIME IMPETRANDO  
*Ad d. Decembr. Anni MDCCXXXII.*  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVTOR  
**JO. SAMVEL PITSCHE**  
HERRNSTADIO - SILESIUS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

ALMA MATER  
ERIDANEO  
DNTERRITORI  
MEDICINIS  
PROVINCIOS  
NICE non

NEC NON  
VIRO  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
**FRIDERICO**  
LIEFMANNO,  
MEDICINÆ DOCTORI  
CELEBERRIMO  
ET  
PRACTICO APVD BUDISSINENSES  
FELICISSIMO,  
**PROAVUNCVLO SVO**  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO.

NEC NON

NEC NON

V I R O

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO QVE

M. JO. JACOBO

P I T S C H I O,

ECCLESIAE DVCAL. QVÆ SAGANI  
EST ET A. C. A.

PASTORI FIDELISSIMO, MERITISSIMO, SCHOLARVMQVE  
IBIDEM INSPECTORI GRAVISSIMO

P A R E N T I S V O

OMNI FILIALIS PIETATIS CVLTV AD VRNAM  
VSQVE AFFICIENDO

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM  
CVM VOTO OMNIGENÆ PROSPERITATIS  
SACRAM FACIT.

A VCTOR.

*Q. B. F. Q. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICA

DE

TVSSI CONVVL SIVA.

PROOEMIVM.



Vum de tussi conuulsiva aliquid commentari aggrederer, & antiquitus actorum & scriptorum memoriam reueluere animum subiret, parum absuit quin deterrerer ab instituto, quum illud nomen apud anticos frustra requirerem. Nouum esse morbum ne cogitare quidem licebat per HIPPOCRATEM nostrum, a quo commemorata gibbositas menti obuersabatur, eaque ante pubertatem ex tussi facta: quam profecto non mediocrem existimare poteram, sed talem omnino, quae id omne haberet, quod in tussi vehementissima, quæ conuulsiva dici solet, obseruatum est: quoniam spinæ dorsi vertebrarum, arctissime per tot vincula inter se deligatarum, nexus vitiare valuit. Cognoui tandem æ-

A 2

tiolo.

tiologicam tussis doctrinam, qualem scholæ a GALENO traditam habuerant, tam superficialem esse, vt cordatoribus proprioris æui doctoribus minime satis facere potuerit: vnde factum est, vt misso inani intemperierum commento, ad id potius, quid partes solidæ in hoc morbo patientur, respexerint, sicque veteri quidem rei nouum nomen, naturæ tamen illius conuenientissimum, imposuerint. Quod quium celeberrimos nostri æui medicos adeo non offenderit, vt potius quotidiano vnu familiarissimum iam factum sit: nec mihi verendum fuit ne iustum propterea reprehensionem incurrerem.

**T**ussis, in genere dicendo, est motus thoracis exspiratorius intensior, & vt plurimum crebrius per breuissima interualla repertus, quo aer, copiosius primum haustus, clausoque tantisper larynge detentus, tota deinde vi, sursum truso diaphragmate, muscularumque abdominis, tum vero etiam ceterorum expiratori dicatorum, fibrarumque, quas ipsa bronchia habent, motricium nisu, iterum eliditur.

§. II.  
Motus hic, in vniuersum non est præternaturalis, quum sanissimi etiam, quoties lubido est, tussire possint: quod sœpe dedita opera faciunt, qui venam chirur-

chirurgo secandam præbuerunt . vt sanguinis effluxus concitatio reddatur . Nimis autem sæpe iniussu nostro idem oboritur , & a necessitate quadam , cui resistere non valemus , imperatur . Atque talis morbosæ constitutio ad motus conuulsuos iure eodem referri meruit , quo omnes reliqui motus , qui ex naturæ instituto voluntatis nostra moderamini vel integre , vel ex parte , subiecti sunt , quoties inuitis nobis exercentur , ad hanc classem pertinere censerunt .

§. III.

Quamquam vero omnistussis non voluntaria conuulsuam indolem præ se ferre cognoscitur : nomen tamen conuulsuæ illi potissimum inhæret , quæ efferata vehementia diaphragma sursum contractum , in hac syphole longiori , aut creberrime repetita , detinet : vnde fit vt pulmones valde compressi in motu suo plurimum inhibeantur , vt laborantes fere suffocentur , faciesque illorum penitus liuida & tumens de sanguinis a capite ad pectus defluxuri stagnatione testimonium cuius intuenti præbeat . Primus , ni fallor , WILLISIVS nomen illud rei apprime conueniens imposuit : cuius exemplum ETTMULLERVS , aliique clari viri , sequuti sunt . Veteres , rem designaturi , vocabant talem tussim θρυσθησιν , aut νοσοδον delassantem : quorsum etiam referto ab iisdem memoratam πνυμωδη , suffocatiuam .

§. IV.

Enimuero non solum pulmonum actioni obest hæc spasmatica motus exspiratoriæ affectio ; verum etiam ad ventriculum nimis sæpe transit vitium . Quippe is contenta sinu suo excutit , vomituque expellit , in

consensum scilicet raptis ipsius nervis, iamque musculos visceri circumdatos conuulentibus, vt sursum violenter exprimant, quicquid intus hæret.

## §. V.

Quin tanta est violentia illius conuulsuæ agitationis, vt sæpe in tenerioribus & gracilibus pulmonum vasa disrupta, sanguinique effluxuro viæ amplissimæ paratæ sint: aut sanguis ad caput vehementius pulsus, ibique detentus, narium tunicam perruperit, & hæmorrhagiam induxit. Visi etiam sunt, quibus vrinæ & aluinarum fæcum inuoluntarius effluxus sub paroxysmo accidit. Aliquando, quod magis mireris, vertebræ dorsalis corpus in medio disruptum fuit: quod notabili exemplo in *Ephemer. Acad. N. C. Cent. I. observ. I.* comprobatum legas.

## §. VI.

Principue tamen teneræ infantum & puerorum ætati molesta est, & per interualla tantum affigit eorum corpuscula, vt sæpe sanguis sincerus ex pulmonibus reiciatur, palpebræ insignem in modum inflentur, oculi lacrymas emittant, nares sanguine stillent, crebro sternutent & vehementissime, ac simul hoc motu, & tussis ipsius assiduitate, hernias sibi contrahant: quod quidem in tam teneris corporibus minus mirari decet, quum sæpe etiam adultris, & iam consistentem ætatem adeptis, idem vitium inferre soleat. Quin thoraci etiam malam conformatiōnem illam, quæ gibbositas dicitur, conciliat, quod longæuitati consequendæ, obseruante HIPPOCRATE *Aphorism. Sec. VI. 46.* plurimum obstat.

## §. VII.

§. VII.

Non raro epidemium hoc malum per satis longas regiones grassatur; neque optimis remediis, & alio tempore efficacissimis, multum auscultat, donec temporis progressu aeris melior & emendatior constitutio reddatur.

§. VIII.

Quemadmodum tussis mitior vel humida est, vel secca: ita grauissima hæc conuulsua modo nihil emolitur, aut nihil, quod tanto conatui par sit; modo humida est, quæ mucum ex palato, larynge, aspera arteria & bronchiis, saepe vna cum pure & sanguine, reicit; vel ex postremis faucibus & œsophago eundem sursum adducit.

§. IX.

Causa tussis primaria est neruorum, vel ipsi pulmonum visceri, vel laryngi, asperæ arteriæ & bronchiis tributorum, tum vero etiam ad partes, ob officii societatem spiritalibus hisce organis proxima affinitate iunctas, pertinentium, aut cum his originis aut complicationis vel propagationis ratione iunctorum, molesta irritationis ad quam excutiendam & propulsandam natura corporis nostri musculos exspirationi dicatos omnes, vna cum lacertosis fibris, quæ contrahendis & ad se inuicem adducendis bronchiorum semicircularibus segmentis tributæ sunt, in celeres vehementesque contractiones, identidem repetendas, impellit.

§. X.

Pro eo autem ac materia irritationem illam adferens vel in pectore potissimum hæret, vel œsophago

ven-

ventriculoue infidere certis signis indicatur, vel hypochondriacis demum visceribus impaeta esse cognoscitur, tussis diuersa omnino nomina accipit; adeoque pectoralis, stomachicæ & hypochondriacæ nomina in scholis celebrantur. Priorem etiam idiopathicam censeri, posteriores duas consensuales haberi videoas.

## §. XI.

Et spiritus quidem vias, quas ad pectus, quo ducunt, totas referre licet, ab initio ad finem natura obduxit tunica multis ductibus excretoriis spisse obsita: qui ductus vel arteriarum extremitatibus continuati, ad humectationem & irrigationem perpetuam fundunt fluidum aliquod blande mucilaginosum; vel a peculiaribus glandulis palatinis, tonsillis, iisque quæ epiglottidem & cartilagineum arytaenoidem obsident, quæque arteriæ asperæ tunicæ posteriori, magnum spacium, quo nulli cartilaginei cessant, explenti, crebræ interiacent, tamquam a totidem scaturiginibus exoriuntur, & spiritus vocisque vias, perpetuo muci prouento, lubricas & æquales seruant: quod idem in bronchiis, usque ad extremum eorum, obseruare licet, et si de glandulis bronchialibus, quas recentiores auctores paulo studiosius contemplati sunt, incertum sit utrum ad illius fluidi prouentum institutæ sint, an alium in œconomia vitali usum praætent. Quoties vero accedit in his ductibus nimum muci secerni, id quidem facili conatu natura expellit, tussimque pectoralem leuiorem hinc fieri obseruamus. Si vero valde tenax illud sit, & acri vellente indole insuper præditum, & imis bronchiiorum recessibus inclusum; aut non tenax quidem, sed nimis flui-

fluidum instar aquæ existat, vt in altum propulsum idem retro labatur; grauiori vtiique molimine, eodemque crebrius repetito, illud excutiendum est, sive que ad conuulsuum modum & gradum tussis ista excedit.

§. XII.

Acris autem & vellicans ille humor vel ab origine sua talis prodit, quando vniuersa humorum massa istiusmodi sordibus scatet; aut quando ad superficiem vel extremos artus antea depositæ, medentis imprudentia, aut ægrotantis qualicunque culpa, retropelluntur, vel naturæ imbecillioris defectu non amplius vegete fatis expelluntur. Patet hoc exemplo exanthematum retro-pulsorum, vt scabiei, tinea capitis, guttae rosaceæ, ulcerum haud satis consulto studio consolidatorum, rheumaticorum decubitum & podagræ retrocedentium: quæ singula peccatum interdum grauiter affligere, & seorsim tusses grauissimas conuulsias produxisse, multis obseruationibus comprobari facile potest: vel externa causa, ex aere communi hausta, acrem illam qualitatem irritantemque conciliat.

§. XIII.

Inter externas illas causas maxime valet aeris constitutio, quæ non solum quando insolito tempore flantibus austris calida & benigna est, sive que humores blandi elicit & expandit, deinde autem mox frigus, idque aquilonare, superinducit, arteriæ asperæ & bronchiorum internam superficiem subito constringendo, cum reliquis catarrhalibus molestiis tusses etiam populariter inducit; verum etiam de singulari quadam plus minus caustica & maligna sui prauitate, inducitarum febrium

B & exan-

& exanthematicorum affectuum crebro & populari prouentu, testimonium perhibet. Atque de eiusmodi epidemias tussibus, satis diris & molestis, legi debet præ certis quidem HIPPOCRATES *Epidem. VI. Sec. VII.* SENNERTVS *de febribus Lib. IV. cap. 17.* & TH. SYDENHAMVS: addantur quoque quæ ad constitutiones epidemicas pertinent laudatissimis actis A. N. C. a celeberrimis viris passim inserta, vt & *historie morborum Wratislaviensium & acta medicor. Berolin. vol. 2. p. 2.*

#### §. XIV.

Peculiariter notabilis est ille nexus tussis & morbillorum: quippe hi plerumque, vt præcursori, ita comites, habere tusses solent: videsis *Act. N. C. Dec. III. Ann. IV. obs. XI. p. 25.* Quod hoc etiam auctumno vidi mus, quo complures infantes & pueri molestissima tussi, plane conuulsiva, per duos fere integros menses, laborauerunt, donec tandem circa medium Nouembbris, post variolas satis crebras multisque funestas, morbilli prodierunt, qui non paucos etiam illico corripuerunt, qui modo a variolis liberati fuerant.

#### §. XV.

Porro ex aere ambiente in spiritus vias attractæ particulæ metallicæ, præsertim acidæ minerales, fumi que saturnini, illis, qui copiosius vel diutius talia admirerunt, grauissimas & eminenter conuulsivas tusses inducere solent. Quod præcipue experiuntur illi metallicolæ, qui argento per plumbeum in magnis catinis depurando operam impendunt; tum vero etiam interdum figuli, qui lithargyrio, ad incrustanda vitro tegmine vasa sua, multum occupantur. Talia autem partim

tim constringendo & occludendo poros agere videntur, ut latex ille subuiscidus, lateribus tracheæ & bronchio-  
rum obliniendis destinatus, effluxu autem suo prohibi-  
tus intusq[ue] coaceruatus, neruos intertextos moleste  
premat, hæcque sensatio ad neruos ex communionis  
& officii socii lege consentientes propagetur: partim  
immediate eos rodendo & vellicando, postquam eius-  
modi particulæ cum saliuia, forte etiam per cutis, mem-  
branæque pituitariæ & laryngis poros, humorum massæ  
adiuncti fuerunt: quod inde colligere licet, quoniam  
saturnina tractantes non tussi solum, verum etiam colica  
grauissima subinde vexantur, quæ satis sæpe parefin,  
& omnino contracturas, tandem inducit. Vidi homi-  
nes, qui aceto destillato vix summis labris degustato il-  
lico ferociter tussire coacti sunt, Et quod saturnina  
summæ tantum cuti sæpius applicata in pulmones vehe-  
menter agere possint, vel in primis docere potest gra-  
uissimus auctor HERM. BOERHAAVE, qui *Element.  
chym. Part. II. p. 454.* testatur, quod acetum plumbi, ad  
cutis nitorem diu multumque adhibitum, in phthisin  
deducere possit, idque sibi tristissimis sæpe constitisse  
exemplis.

### §. XVI.

CORNELIVS CELSVS, bonus in primis au-  
tor, *tussim fere propter faucium exulcerationem molestam es-  
se reliquit.* Id vero paulo obscurius dictum, facit ut  
hæreamus, quo pacto intelligendum sit. Potest enim  
ita accipi, quod tussis propterea molesta sit, quia exul-  
cerationem, diuturnitate allisionis, faciat, quemadmo-  
dum videmus partes externas diuturniore & frequentiore

B 2

ad

ad res solidas, aut se ipsas inuicem attritu, intertriginem contrahere: aut sic intelligi, quod exulceratio ab initio præsens causa tussis existat. Deinde ipsa faucium accusatio ambiguos nos reddit, quid CELSVS sibi velit; quum æque laryngem ac pharyngem intelligere liceat. Enim uero quum fauces anginæ specierum sedem faciat, neque minus dyspnoeæ, orthopnoeæ & asthmatis subiectum eas habeat: haud difficillimum quidem puto, ut nos ex hoc dubio extricemus: quum sic clarissime intelligamus faucium appellatione illum late vsum esse, ut simul complectatur, que ad gula superiorem partem, & ad spiritus vias, in illo biuio accidentur. Puto autem ipsum potissimum respicere ad illam asperitudinem, quæ hic in malo leuiori, a simplici frigoris constrictiui vitio, exoritur, vnde etiam concurrens raucedo pendet: quæ, quoties aer, illam afferens, aliquid acris & rodentis secum vehit, vnde collisorius frequens motus concitatatur, intertriginosam exulcerationem deinde affert: quæ leuior aut grauior existit, pro eo ac ipse ille aer magis vel minus infectus fuerit. Si grauissime fuerit infectus, aphthodes faucium a summo ad imum exulcerationes conspicuntur: quod in pestilentibus quibusdam constitutionibus crebro notatum est: de quo argumento hic latissime differere tempus non permittit. Conf. Eph. A. N. C. Cent. III. obs. LVIII. & MARCEL. DONATVM hist. med. mir. lib. III. cap. I.

### §. XVII.

Fere nos a via distraxit CORN. CELSVS, vna cum suo, quem ibi sequitur, ASCLEPIADE. Redimus itaque ad spiritus vias, de quibus nondum absoluitus.

In

In has per aberrationem quancunque delata peregrina corpora, siue dura fuerint, vt esculentorum particulæ, siue fluida, vt guttulae potus adsumti, insignem & ferocem tussim illico concitant, vt saepe de vita periclitentur, quibus id accidit. Memini me videre hominem, qui inter sodales vini cyathum exhausturus aliquid narrari audiebat, quod ipsum in cachinnum adducebat, vnde vini portio, retrusa epiglottide, in asperam arteriam incidebat: quod tussim tam violentam tamque assiduam & plane conuulsionibus stipatam afferebat, vt suffocatus forte fuisset, nisi bona eius fortuna homo venas secandi peritus, cum omni apparatu suo, praesens periculo ipsum exemisset. Huiusmodi casus complures annotauit MARC. DONATVS *de med. hist. mir. lib. III. cap. 7.*

### §. XVIII.

Si fortuito in tracheam illapsa peregrina duraque corpora tantas turbas faciunt, & naturam ad ferocestusses extinxunt, quid non metuendum erit si talia ibi generata sint, suaque presentia naturam corporis nostri continuo irritent? Enim uero huiusmodi obseruationes apud veteres & recentiores haud paucæ exstant. GALENVS certe monumentis litterarum reliquit exemplum viri, qui grandinibus similia tussiendo reiecit: & ALEXAND. TRALLIANVS *lib. V.* accurate describit historiam viri, qui tussi reiecit verum calculum, non asperum, sed exquisite lœuern, durum & renitentem, vt in paumentum dieetus sonum ederet. Non multo dissimilis est historia, quam PAVLVS ÆGINETA *lib. III. cap. 28.* Czi. refert de quodam, qui post longam & difficilem tussim lapides quatuor aut quinque, vna cum sanguine, eiecit,

eiecit, quorum quisque triplici aculeo, instar tribuli aquatique, praeditus fuit. Et PETR. BORELLVS *obseruat. medicophys. cent. I. 67.* adducit mulierem, quae per longum tempus calculos paruos, multosque tussi reiecit, variae figuræ, admodum autem duros. Plura huc pertinentia legi poterunt apud GE. FRANC. de FRANCKENAV. in dissertationibus de *calculis capitidis & thoracis.* Adde Eph. A. N. C. Cent. X. pag. 371.

### §. XIX.

Alii, iidemque graues auctores, commemorant calculos in tonsillis natos, qui tussis continuæ præbuerunt causam. Legitur talis obseruatio apud IO. LANGIVM epist. med. lib. II. 58. vocat illum calculus gypseum, simillimum illis tophis, qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accrescere ex pituita solent. Plures testes adducit MARC. DONATVS lib. IV. cap. 30. Denique etiam leguntur verrucosæ excrescentiæ gutturis summam partem obsedisse & grauissimæ tussis auctores fuisse: de quo videantur apud modo laudatum scriptorem testes idonei, lib. III. cap. 30. p. m. 247. 248. Quin vermes quoque in arteria alpera hospitantes, eamque irritantes, tussim produxisse ex SERAPIONE Arabe, quem corruptissime ALSAHARAVIVM vocant, vt & ex IOANN. RHODIO *obs. med. cent. II. 12.* discimus.

### §. XX.

Tandem etiam inflammationi pulmonum & pleuræ succedentes suppurationes, indeque ortos abscessus, longæ & difficillimæ tussis causas fuisse, sëpe multumque compertum est. Pleni sunt medicorum libri istiusmodi ægrototorum obseruationibus. Præ ceteris notatu digna

digna mihi illa videtur, quæ in *Act. N. C. Dec. II. ann. VIII.* pag. 245. de muliere sexagenaria legitur, rupti abscessus purgamenta fœtidissima cum tanta tussis violentia emoliente, ac si ipsa cum intestinis enixura esset viscera. Accidit hoc illis maxime ægrotis, vbi abscessus in extrema aliqua pulmonis parte fundo suo hæret, & non nisi exigui bronchiorum ramuli exesi sunt, per quos pus tenacius non sine extremo conatu sursum evehitur: quibus etiam tussis plerumque periodice accedit, ita ut post certa quietis tempora maiori deinceps vehementia motus integrantur. Ceterum hue etiam illi sine dubio referendi sunt, qui pulmonum frusta, vasorumque pulmonarym partes, tussi eiecerunt: quales ægroti apud *TVLPIVM*, aliosque historiæ medicæ scriptores, inueniuntur. Hæc vero de illa tussi, cuius causa in ipsis spiritus viis subsistit, dicta sufficiant.

## §. XXI.

Progradimur nunc ad istas tussis conuulsuæ causas, quæ longius remota & extra spiritus vias sunt positiæ. Inprimis hic reus agitur stomachus, quoniam fixe tam adulti, quam teneror ætas, liberrimis respirationis organis, inferius circa serobiculi cordis regionem se vellicari, & ad tussim irritari sentiunt, quo casu sæpe viscida, aliquando assumta omnia, diutius protracta tussi, reiiciuntur. Confirmant suspicionem coniuncta symptomata, ventriculi labem indicantia, ut appetitus prostratus, indigestio, sensus in ventriculo grauatius. Atque hic affectus raro solus est, quin adiuncta habeat catarrhalia quædam signa: vnde aliqui a catarriali decubitu in postremarum faucium tunica, per œsophagum potis-

potissimum continuata, orificio ventriculi sinistrum, ipsique proximas glandulas dorsales, simul intumescere, neroisque paris vagi, œsophagum ibi circumplexos, irritari, hos vero ad pulmones, diaphragma & laryngem abeuntis ramos in consensum trahere, existimant: alii profundius etiam & in ipso duodeno causam irritantem latitare autemant. Accedit quod febribus intermittentibus laborantes, aliquando ante paroxysmum satis ferciter tussiunt, toto reliquo tempore satis ab hac concusione immunes. Vidi virum tertiana exquisita laborantem, qui, quamdiu horror febrilis durabat, immani tussi vexabatur: hoc superato, per totum æstus tempus, ut & per totum *αντροεξις* spacium, plane a tussi immunitis degebat: ipsa deinde tussi eadem proportione decrescente, qua febri per idonea medicamenta detrahebatur: vnde satis clare eluet, quod huius tussis causa cum ipsius febris sede ac somite satis arcte cohæserit.

### §. XXII.

Præter ventriculum & duodenum tussis satis gravis causam fouent remotiores partes abdominis. Nam qui hepatis scirrhis confirmatis laborant, quod suis signis coniicitur, satis s̄epe vehementi tussi, per vices interquiescente & reuertente, vexantur. Quemadmodum etiam hydropieis accidunt tusses haud lenti euentus præsagia, sic docente HIPPOCRATE *Sed. VII. aph. 35.* Quin, hoc eodem auctore *Epid. II. Sed. IV.* consensu datur inter pectus & testes, ita ut tusses aliquando diurnæ cefsent superueniente testis tumore, vicissim vero testis tumor, exorta tussi leuetur: quod recenti obseruatione confirmatur *Eph. A. N. C. Cent. III. obs. 83.*

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Neque vero rarum est tusses inter se ita compliri, vt vix satis cognosci possit, quod nomen maiori iure imponendum sit. Nam, in epidemiis præcipue constitutionibus, nihil obstat, quo minus primæ simul viæ & spiritualia organa lœdantur, quin hypochondriaca viscerata tangantur: quemadmodum tertianæ etiam visce sunt pleuritico schemate ingruentes, aliæque ictericas defæcationem secum ferentes.

## §. XXIV.

Tusses autem tam graues & conuulsuæ non idem præsagium habere possunt. Infantibus multis funestæ sunt illæ, quæ epidemice grassantur: tantoque sunt grauiores, si simul dentitionis negotium concurrat, quo frequentius est multis tunc veras & plenas conuulsiones concurrere. Extra hunc casum propterea etiam extimescendæ sunt, quod hernias inducere valent, aut gibbos facere: quod iam supra attigimus. Adultioribus, et si non omnino ab indicato metu liberis, magis extimescendæ sunt hæmoptyses, a quibus facilem pronamque in phthisin esse viam nimis notum est.

## §. XXV.

Ceterum conuulsuæ tusses omnes peiores sunt mitioribus, eæque, quæ in eodem genere siccæ sunt, humidis. Omnium difficillimæ sunt hypochondriacæ, & ex pectoralibus illæ, quarum causa difficilius potest corrigi aut expelli: vt sunt abscessus interni, calculi in arteria aspera & bronchiis hærentes. Quæ a retropulsis efflorescentiis cutaneis ortum traxerunt, haud adeo difficulter curantur, si initio medela afferatur, illæque ad

C

cutim

cutim repellantur : quo omisso nec facile deinceps negotium illud succedet, nec reparari poterunt illa lœse structuræ organicæ vitia, qua a tali errore orta *Act. physico-med. Acad. N. C Vol. I. obs. 231.* recensentur.

### §. XXVI.

Progradimur ad curationem tussis conuulsuæ tractandam, quæ duabus potissimum indicationibus dirigenda est. Ac primo quidem conuenit vehementem illani agitationem & concussionem partium exspiratio-ni dicatarum securo modo compescere, & ad moderationem reducere: altera cura sit ut materiam, quæ causam præbet, subtrahamus, si mobilis est: si non mobilis est, & in tumore, scirrho, topho, abscessu, aliisque huius generis, constat, quantum eius fieri potest corrigamus, neque magis inualescat, prohibeamus.

### §. XXVII.

Primæ intentioni satisfacere licet, quando materia laryngem, bronchiaque vexat acris, eaque tenuior, quam vt sursum efferri eiicique possit, per incrassantia & acrem illum tenuemque humorem inuiscantia. Talia complura in officinis ab antiquo iam prostant, quæ lingendo & lente deglutiendo fructum afferunt aliquem, et si non illum, quem vetustissimi sibi promittebant, fieri posse & solere rati, vt talia ipsam asperam arteriam aliqua ex parte subeant. Pertinet huc potissimum lohoch de papauere recens paratum, nam vetustate corruptitur, itemque lohoch de tussilagine, quippe quibus nihil omnino acre inest, cum tota constent ex mucilaginosis: priori etiam sem. papaueris demulcentem blandam virtutem impertitur. Eadem intentione officinas intrarunt dia-codion,

codion, GALENO iam visitatissimum, syrpus de far-  
fara, iuiubinus, de papauere simplex & compositus:  
quibus per se, linetu vtimur, vel oleo amygdalarum  
commixtis. Possunt etiam decocto hordei cum C. C.  
aut auenæ excorticatae admisceri & cum illis hauriri,  
aut potiunculis ex aquis defillatis dilui, sicque versus  
noctem potissimum exhiberi,

### §. XXVIII.

Talibus vero folis non permitti curatio debet,  
vt nec diu continuari eorum vsus cum fructu potest.  
Illico potius dispiciendum est, ex qua caula hic defluxus  
& decubitus tam acris materiæ spiritus viis accidat. Iam  
si cognoscatur transpirationem suppressam, in corpore  
impuris succis scatente, aut exanthemata retrogressa vel  
retropulsa esse, omni opera mox entendum est, vt simul  
ad superficiem hæc reuocemus, simul exhauriamus. Huic  
scopo efficacissime succurrit æthiops mineralis, siue il-  
lum officinalem malis, siue ex antimonio crudo & mer-  
curio paratum: modo in dosi non nimis parcimonia simus, nec  
ab vsu eius valde cito discedamus.

### §. XXIX.

Si nihil horum deprehendatur in culpa esse, mallem  
tamen modo laudato remedio insistere, quam exemplori  
VERII & SYDENHAMI purgantibus acribus, mercurio  
dulci additis, pugnare. Nam effectus, quem in resolu-  
uenda lympha mercurius dulcis purganti stimulo ro-  
boratus facit, in æthiopis vsu non solum blandior sed  
ipso temporis successu certior est, quam in simultaneis  
istiusmodi excretionibus: quæ nec semper ex voto ce-  
dunt, quum aliquoties exacerbatae tusses purgantium

C 2

vsu

vſu viſæ ſint. Quanquam in vniuersum non improba-  
re purgantia auſim, vtique ſi primarum viarum vitia  
ſimil ad eſſe cognoscantur, aut tuſſes iſtiusmodi poſt  
variolas modo ſuperatas exoriantur: quo caſu inprimis  
conuenire poſſunt.

### §. XXX.

Quod iſi talibus præmiſis motus iſti nondum con-  
quiescant, quod aliquando ex ſola illa cauſa fit, quod  
frigus nocturnū arteriam asperam ad conſuetos iam  
motus identidem exasperat; veṇiendum eſt ad paulo  
fortiora anodyna, vt ſunt quæ ipſum opium ingreditur,  
vt theriaca, mithridatiū, pilulae de cynogloſſo, styra-  
ce, Wildegaſſii: quibus tamen ſingulis prefero tales,  
in quibus pigro alino generofus equus adiunctus eſt:  
hoc eſt, vbi opii virtus narcotica purgantis non inertis  
coniunctione temperatur, vt in pilulis Starckeyanis in-  
tueri licet, ad quarum imitationem confici poſſunt haud  
inferioribus præditæ virtutibus, etiam ſine tædiosiſime  
præparandi correctoris illius adminiculo.

### §. XXXI.

Tandem nec extera insuper habenda ſunt, quip-  
pe hæc multis caſib⁹ vehementiam tuſſis, admodum  
conſpicuo fructu, minuunt. Exſtat in officinis vnguentum  
pectorale, quod & crocinum ab aliquibus vocatur,  
quod iis p̄cipue confert, qui exulceratos pulmones  
habent, quando tuſſis nimis ferox redditur. Pleuriti-  
de aut peripneumonia correptis, ad tuſſis & dolorum  
punctiorum inſigne ſolatium, imponitur puls ex fe-  
go-pyro & fl. chamæmeli cocta, cum croco; linteis du-  
plicatis inclusa toti pectori applicetur. Emplastrum  
etiam

etiam fieri potest ex bdellio, myrrha, croco, florum sulphuris modico, haecque axungiae humanæ, terebinthinae ac ceræ sufficienti quantitate excepta, linteoque inducta, toti dorso & pectori imponantur; a quo remedio virum pertinacissima tussi, & molestissima, totis noctibus diuexatum insigniter adiutum esse ex prælectionibus Illustris Dom. PRÆSIDIS probe memini.

## §. XXXII.

Quin infantibus conuulsoria suffocatiua tussi laborantibus instar incantamenti sæpe profuit, si emplastrum vesicatorium, instar grossi maiusculi, nuchæ impositum fuit: quippe quo pori arcte constricti reserantur, & acris materia, quæ partibus membranaceo nervosis incubuit, easque continuo vellicauit, ad superficiem evocata fuit. Præcipue vero conductet hoc remedium, vbi achores, scabies, & alii cutanei affectus exanthematici, male decurrerunt, suique reliquias, profundius inhærentes, produnt.

## §. XXXIII.

Quando aer malignis salino - causticis effluuiis fœtus, illas, dum spiritus vias transiit, ibi depositus, simulque cum fistulæ cibalis superioribus partibus communicavit, illius quidem intuitu multa facienda sunt, quæ hic locus non capit: sed tussis leuandæ causa, atque ut exulcerationibus istis aphthoides occurritur, iuuat inprimis os & fauces crebro colluere decoctis vinosis, aut simplici vino vel oxymelite: pauperibus acetum, quali familia vtitur, sufficit, quod melle simplici, aut rosato, distemperetur. Quod vulgo acetum tantopere reformidetur, vbi tussis adeat, noui quidem, sed & miror: quum ve-

C 3

tustis-

tustissimi auctores vel in primis ad defluxiones in gutture, ad anginas & orthopnreas commendauerint, tam sorbendum, quam gargarisandum: & ASCLEPIADES, teste CORN. CELSO, *Lib. IV. cap 4.* illud maximo laudauerit opere. Accedit quod malignarum, quæ tunc maxime iungi solent, febrium sit optima maxima medicina acetum, omnes antidotos alias multis post se parasangis relinquens: quare & hoc intuitu præcipue meretur commendari.

#### §. XXXIV.

Illis, qui mineralibus vaporibus corrosiuis affatim haustis, & plumbi particulis crebra inspiratione suscep-  
tis, malum debent, opus est ante omnia in posterum illa cauere, aut se pinguium vnu præmunire, si ad tales laborem reuertendum est. Ut vero iam allatum corpori suo damnum resarciant, commendatum inprimis habeant decoctum raparum exsiccatarum, cum butyro vel oleo amygdalarum dulcium. Aqua dracunculi esculenti, quem LOBELIVS *stirpium observ. p. 243.* draconem vocat, destillata iusto tempore, istiusmodi tussi laborantes maxime inuat, vt Ill. Dom. PRÆSES edocet in Dissert. *de metallicol. morbis.* Eadem plantula inter acetaria exhibeatur istiusmodi ægrotis, vt & tussi hypochondriaca laborantibus, plus enim in recessu habet, quam vulgo creditur.

#### §. XXXV.

Quando peregrina in tracheam illapsa tussim ferociorem excitant, vt omnino periculum suffocationis instet, non inutile est homini sanguinis & succorum ple-  
no venam secare in brachio, sicque detracta aliqua co-  
pia

pia humorum respirandi facultatem restituere, quod eum fructu factum vidi & supra retuli. De reliquo non equidem video quid fieri cum fructu tunc queat, & successus expulsionis a natura & tempore exspectandus est. Calculi in ipsis viis spiritus enati pariter naturæ, ut illos expellat, relinquendi videntur. Eam autem adiuuare licebit vsu humectantium & lubricantium, quemadmodum AL. TRALLIANVS, loco quem supra indicaui-  
mus, rectissime admonet. Interponi poterunt simul talia demulcentia & antispasmodica, quæ efforatos nimium spasmodicos motus mitigent, ut sunt emulsiones ex sem. papaueris & amygdalis paratae, syrupo papaueris vel diacodio ad gratiam condite. E longinquo simul prouideatur, ne plures subnascantur calculi, quod in hominibus, qui rheumaticis affectibus obnoxii sunt, aut alias crassos & tartareos humores gerunt, extimescendum est. Quare iuuabit eos si humores suos bene fluxiles reddant, potus præcipue tenuis & copiosi admixtus, fontiumque mineralium, præsertim Selterani cum lacte potandi, opem experiantur. Seri etiam lactis, herbarum antiscorbuticarum temperatorum, & has inter præcipue illius modo laudati dracunculi esculenti, succis alterati usum frequentem habeant. In tonsillis hærentem calculum vel crebra oris collutione, ex decoctis emollientibus & maturantibus, a nexu suo liberare oportet, quod IO. LANGIO, supra citato, ex voto cessit, vel prouide adhibitorum instrumentorum ope vtendum est: quemadmodum lapidis talis a balneatore bono cum successu excisi mentio fit in *Eph. A. N. C. Cent.*  
*V, obs. 48.*

## §. XXXVI.

## §. XXXVI

Misera est conditio eorum, quibus in pulmone abscessus vomicæque hærent, omninoque rari visi sunt, quibus ruptis illis, excussoque multo cum molimine pure, sanitas fuit redditia. Illud certo certius est, quod vehementes tusses istæ omnino nihil emendent, & malum peius reddant, quum numquam consequivleris illius, quod toties, tamque violenter concutitur, conuellitur & agitatur, consolidatio possit. Quare dum reliqua, quæ ulceri pulmonum debentur, ex arte afferimus, huc etiam respicere omnino oportet, vt motus isti vehementissimi sensim ad mediocritatem reuocentur. Placet in primis balsamus pectoralis MEIBOMII, qui tantillum laudani opati in singulas doses continet, cuius usu quotidiano aliquos, qui exulceratos pulmones habuerunt, & a iuuentute habuerunt, ad satis conspicuam ætatem peruenisse nouimus. Possunt etiam, dum paroxysmus desæuit, exterius adhiberi vnguenta, vt pectorale, quod supra laudauimus, itemque resumtiuum, cum aliquantulo populei remixtum: vnde, præter demulcentem effectum, ille etiam consequetur, quem veteres desiderabant, quum magnum & diuturnum motum subituros inungebant, idemque motu iam peracto factitabant. Scilicet lasitudinem talia detrahunt, & sublequi solitam fibrarum rigiditatem emendant.

## §. XXXVII.

Quando ventriculus primæque viæ acribus humeribus laborant, in promptu est illos debere obtundi, digeri, tandem euacuari: a quo si non consequimur, quod operæ pretium faciat, iusta est suspicio in partibus solidis

dis hærere vitium , vel in glandula dorsali ad œsophagum sita, vel in ipsis duodeni pancreatisque glandulis, vnde primo eliquari per conuenientia resoluentia & aperiuita, deinde euacuari debet. In subsidium externo vsu vocetur empl. saponatum , quod pulcherrime refoluit; dentur mercurialia conuenientia, tandemque interponantur, quæ motus nimis efferatos blande mitigent, neque tamen resolutorio scopo repugnant ; qualia superius indicauimus.

## §. XXXVIII.

De tussi hypochondriaca quod dicamus vix superest, quod noniam superius dictis comprehensum sit. Numquam illa accidit , quin tamquam accidens aliis morbi consideranda sit : vnde directam medicationem nec postulat, nec ex lege therapiæ rationalis admittit. In tantum autem mederi licet , quantum excessiuus ille & efferatus motus , a quo nulla directa virtilitas sperari potest, aliis partibus damnum minatur , vt non solum hæmoptysis, herniæ, inque grauidis abortus metui debeant, verum etiam delassatio corporis inutilis , somniique ablatum beneficium , corporis animalis œconomiae detrimentum affert. Ad mitigationem conducent tam interna quam externa præsidia, quæ supra laudauiimus. Aliquantulum magis ad directam curationem conferunt iris Florentina & scilla : quippe horum simplicium virtus resoluens conspicua est. Sed species diaireos, ob adiectorum farraginem, quorum pars facile rancefit, haud usquequaque placent. Oxymel scillinum vt & lohoch de scilla, a paruis dosibus incipiendo, cauteque progrediendo, opera facient pretium , si re-

D

liquis,

liquis, principali vitio debitum, prudenter iungantur aut interposita fuerint: quemadmodum eadem etiam in ipsa pectorali difficultima tussi, mucum tenacem resoluendo & ad euacuationem præparando, non sine causa commendata sunt.

### §. XXXIX.

In omni tussi bonum est frigus vitare, & corpus ad transpirationis placidum successum bene habere dispositum. Quare infusa theiformia in primis commendanda sunt, quæ pro individuali conditione subiecti ægrotantis concinnanda sunt. Aluum etiam recte respondere oportet, quæ, si lenta sit, clysteribus mere emollientibus, multum carminatiuorum oleorum habentibus, duci potest: quod quum omnibus, tum vero præcipue hypochondriacis, bene facit, stricturisque illis, quæ plexibus mesenterii, aliisque abdominalibus, inhaerent, sublatis, tranquillitatem optatam ægrotis, aut saltem sensibilem, qua si se contentos esse oportet, quando malum radicitus excindiri nequit, affert,

### §. XL.

In tussi epidemia maligna cum febre & crebris vomendi conatibus, quibus bilis porracea instar fæcum cerevisia spumida euacuabatur, (quæ cl. lo cc. xxviii. grassabatur) eadem enemata præcipuum fructum attulerunt, satisque diurna interquiescendi & vires colligendi spacia procurarunt: qui vero naturam, vti rebantur, sequendi & inuandi spe vomitorias medicinas accipiebant, infausti conatus penitentia mox ducebantur, neque pauci horum ad plures abibant, illi vtique, qui præ ceteris robusti & humorum pleni erant. Extra

tra hunc casum in simplici tussi stomachica infantum & puerorum conuulsua, cathartico blandiori, v. g. mannae solutioni cum pauxillo pulueris radicis galappæ, addi potest syrup. fl. persicorum, aut pulu. rad. ipecacuanhae, vt, sursum peracta una vel altera euacuatione, potissima tamen operatio per alumum fiat.

## §. XLI.

SYDENHAMVS compluribus locis, vbi decuratione tussis conuulsuæ loquitur, vix aliud suadet remedium, quam venæ sectionem, & deinceps cathartica. Quia nec infantilem ætatem ab hac sanguinaria lege excipit, quam ipsa natura venisecibus subtrahere vasorum insigni tenuitate & teneritudine videtur voluisse. Sed relinquimus Angliæ medicis suam siue experientiam siue persuasionem: id scimus quod illi, qui in Germania nostra eundem morem inuehere annisi sunt, nihil præstiterint, quod ceteros inuidere eorum successibus, & æmulari artificium impulerit. Neque tamen in vniuersum repudiamus hoc euacuandi genus, quod tussientis conditio saepe exposcit, et si tussis per se minime postulat.

## §. XLII.

Putamus autem venam secandam esse effera tussi laborantibus illis, qui semel aut saepius sanguinem e pulmonibus aut ventriculo eiecerunt; deinde feminis mensium suppressione laborantibus, aut grauidis, tum omnibus huic artificiali euacuationi adsuets, si tempus consuetum vel instet, vel præsens sit: nouissime illis, qui ex subito in tracheam immisis siue duris siue fluidis adeo feroci tussi vexantur, vt suffocationis metus

D<sub>2</sub>

adfit

ad sit maxime iustus. Nam quum non desint exempla eorum, qui ex tam friuola causta vitam suam amiserunt; nec rarum sit iisdem casibus aliquos succumbere, ex quibus alii facile eluctantur: melius videtur in talibus ægrotis facere, quod aliqua veri similitudine opem aliquam ferre potest, quam certo interitui ipsos permettere. Qui extra hos casus sanguinem mittunt, incurunt censuram MVSITANI: peccat pituita & sanguinem exhaustiunt: unus peccat & alter plectitur.

#### §. XLIII.

Nuper perlegenti mihi libellum de fonte soterio Heilsbronnensi hoc anno editum, complures obseruationes obuenerunt, de insigni fructu, quem aquæ illæ diuturnis & pertinacibus tussibus percurandis attulerunt. Has inter præcipue attentionem illa meretur quæ pag. 75. §. 74. occurrit, de femina quadraginta & octo annorum, quæ inde a tribus annis pectoris multa incommoda perpetua, noctes fere insomnes, ob tussis ferociam. transfigebat, vt omne fere tempus, ni suffocari vellet, sedendo deberet transfigere. Sæpe magna coagulati sanguinis frusta, laboriosissimis conatibus, e thorace eiecerat. Aderat iam magnus calor febrilis, & sudores colliquatiui accedebant. Hanc tamen feminam ita iuuerunt aquæ illæ, quum mane ac vesperi illas ad libram dimidiam bibisset, vt omnino hinc conualuerit, & omnis incommodi expers nunc degat.

#### §. XLIV.

Quum vero inuenirem illum fontem, præter purissimum aquæ elementum, vix aliquid minerale, quod notatu dignum sit, fouere: visum mihi fuit hoc etiam exem-

exemplum confirmare illam thesin , quam Ill. Dom.  
PRÆSES singulari dissertatione confirmauit, quod aqua  
scilicet sit medicina vniuersalis. Incidit simul memorie,  
de quo apud ALEXANDR. TRALLIANVM , ipso ca-  
pite de tussi, legi, Jacobus Psychrestus , quem virum  
magnificum & Dei in arte obseruantissimum vocat:  
quemque Psychresti nomen accepisse dicit, *quod al-  
mento humedante potissimum uteretur: atque hoc facere vi-  
debat, cum vulgus hominum rerum ad se non pertinentium  
curiosum esse, pecunia deditum, & semper in tristitia & curis  
per totam ipsorum vitam agere videret.* Visum autem mi-  
hi fuit multos etiam nostratum a difficilibus morbis, &  
hos inter a tussi graui hypochondriaca, & pectoris va-  
riis affectibus, curari posse, si aquæ purissimæ potu pro  
diæta vterentur; eos vero tanto maiorem fructum esse  
consequuturos, qui cereuisiarum crassiorum & vino-  
rum , quin sublimatorum liquorum , frequenti vnu  
morbis diuturnis firmamentum inde a multis  
annis posuerunt.

F I N I S.

D 3

NOBILI

NOBILI AC PRÆCLARE DOCTO  
DNO. CANDIDATO  
PRÆSES.


**D**issertationi Tuæ, Clar. Candidate, inau-  
gurali de convulsiva tussi, que magno stu-  
dio elaborata, nec quidquam adiiciendum  
putavi, præterquam illud, quod perdo-  
eta huius thematis tractatio evolutioni in futurum:  
suscipienda accuratiori luis istius rheumaticæ tussicu-  
losæ, qua usque eo per universam fere Germaniam  
nulli hominum parcens immaniter grassata est, pluri-  
num lucis atque utilitatis afferre possit. Epidemius  
hic morbus, multiformibus, pro diversa corporum con-  
stitutione, stipatus symptomatibus ab initio demum  
mensis Novembbris natales suos habuit, neque vix  
aliam originem ac causam, quam nebulae perniciales,  
& male olentes, eo tempore copiose cadentes, agnoscit:  
quae

quæ intus hauſte ac ſuceptæ tantas in humoribus &  
motibus vitalibus turbationes concitarunt. Nullius  
fere anni meminimus quam preſentis, in quo tam  
ſubitas & insolitas aeris mutationes in extreme ca-  
lidum & frigidum, ac vicifim, experti ſumus. Quæ  
varia & virulentæ indolis ſeminia in corpus hu-  
manum ſubinde invehebunt atque adeo tam atrociter  
hoc anno grassantium & variolarum & morbillorum  
cauſam præbuerunt. Quin imo, quæ noſtra eft ſen-  
tentia, extraordinarie illæ & praeter naturales cœli  
mutationes ac tempeſtates in ipſo fluido illo catholicō  
aero-athereo novas ſubinde materias deleterias mor-  
biſicas, valde active indolis, ingenerant; non ſecus ac  
in chymicis, per varias particularum combinationes  
& mixtiones, varia & venenata ſalino-cauſtica &  
etiam ſalutaris indolis producta ſiſtere poſſumus. At-  
que adeo a veritatis tramite is minime deſlectere mi-  
bi videtur, qui tam diuersarum epidemice affigen-  
tium morborum originem inde ducere ac derivare an-  
nitur. Hac tantum modo ſunt, Nobilissime Can-  
didate, quæ eruditissimo Tuō labore adhuc adjicere  
placuit. Nihil jam amplius ſuperēſt, quam ut de  
egregia indole, modeſtia, pietate, candore & multis  
virtutibus ſtipata, atque etiam de inſigniſſimis in re-  
bus physiſis & medicis progreſſibus & proſectibus

ex

ex animo gratuler. Tu , Nobilissime Candidate,  
ingenti studio atque ardore descendit concitatus , ea,  
qua ad rem medicam proxime pertinent , omnibus  
obscuris abdicatis & rejectis feliciter comprehendisti,  
emendatae & purioris doctrinae medicae fundamen-  
tis , que in simplicissimis naturae motuum legibus &  
effectis sita sunt , innutritus. Quare nil dubii  
est , quin , divina gratia ulterius assistente , & exer-  
citatione in nostra arte crebriori accidente , & pa-  
rentes & patria & miseri agrotantes a Tuis lau-  
datissimis studiis & conatibus insignem fructum  
atque salutem possint repetere. Quae ut omnia  
prospere & feliciter in Tuum commodum eveniant,  
est quod ex animo voveo ac compreco. Vale. Dab.  
ex museo. Halae. VIImo. Id Decembr.

Anno M D CC XXXII.









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# TVSSI CONVVL SIVA

QVAM

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO

Ad d. Decembr. Anni MDCCXXXII.

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVTOR

JO. SAMVEL PITSCHE

HERRNSTADIO - SILESIUS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

